

14.

1315 Juli 1 Ingolstadt¹.

Nos Ludwicus^a dei gratia Romanorum rex semper augustus notum esse volumus presencium inspectoribus universis, quod cum venerabili Philippo^b episcopo Eystetensi, principi nostro karissimo, propter grata et fidelia que nobis impendit obsequia et adhuc impendere poterit graciore, de exactione et stiura officii in Lantshuta et in Strubinga mille libras hallensium duxerimus deputandas. Nos eidem episcopo et ecclesie sue maioris in hac parte securitatis efficacia cavere volentes, promissimus et promittimus per presentes, ut, si dicta summa de eodem officio aut aliis inferioris ducatus officiis haberi forsitan in toto non poterit aut in parte, defectum illum, quem ipsum episcopum ibidem sustinere contigerit, ad quamcunque summam se extenderit, illi quantitati seu summe pecunie, quam sibi super opidum^c Wizenburch^d nobis et imperio pleno iure pertinens iampridem deputavimus, prout nostra data super hoc continent instrumenta, adicere et superaddere tenebimur, presencium testimonio litterarum, quas ob hoc sibi dedimus nostre maiestatis sigillo munitas.

Datum apud Ingolstat Kalen.^e Iulii anno domini M CCC XV^f, regni nostri anno primo.

15.

1315 Aug. 31 Augsburg².

Ludewicus dei gratia Romanorum rex semper augustus universis presentes litteras inspecturis vel auditoris gratiam suam et omne bonum. Attendentes grata, gravia et fructuosa obsequia, que nobis et imperio venerabilis Phylippus Eystetensis episcopus, princeps noster dilectus, exhibuit et exhibere in antea poterit magis grata, ipsi ac ecclesie sue mille libras hallensium super festum penthecostes proxime

a) C: 'Lūdewicus'. b) C: 'Phylippo'. c) C: 'oppidum'. d) C: 'Wizenburg'. e) A: 'Kahn'; C: 'Ktn'. f) C: 'M^o CCC^o XV^o'.

1) Original im K. B. Allgem. Reichsarchiv zu München, von kleinem Format, mit Siegeleinschnitt ohne Pergstr. und Siegel. In dorso: 'Rex Luð pro mille libris hallensium'. Kopialbuch fol. XXX. Rubrum: 'Rex Ludewicus promittit ecclesie mille libras hallensium'. 2) Kopialbuch fol. XXX. Rubrum: 'Instrumentum regis Ludewici pro mille libris hallensium'.